

XXVIII. Ad replicam hujus argumenti ex D. Prospero respondetur, ibi non loqui de tentationibus levibus absolute, sed de levioribus comparative ad tentationem Job. Et arguit Casianum D. Prosper, quod voluerit Deum tantum esse spectatorem, non vero cooperatorem victoriae tentationum Job, ut ex hoc inferatur in causis levioribus multo fortiolem esse voluntatem, ac proinde gratiam solum dari ad facilius, non vero ad simpliciter faciendum bonum, quæ doctrina non militat contra nostram sententiam, quia in omnibus ponimus Deum cooperatorem, atque adeo dantem initium boni operis, etiam minimi, sed non semper per gratiam specialem, quæ tamen gratia specialis requiritur si illud opus est conducens ad salutem. Unde ad consequentiam argumenti, possumus aliquid legis facere sine gratia, ergo non datur gratia ad simpliciter implendam legem, sed ad facilius respondetur, quod respectu eorum, quæ conducunt ad salutem nihil potest fieri legis sine gratia speciali, nec facile, nec simpliciter, et de tali opere ut conducente ab salutem loquitur S. Prosper et Augustinus contra Semipelagianos. Respectu vero eorum operum, quæ non conducunt ad salutem potest fieri aliquid legis sine gratia speciali, non tamen sine concursu generali, qui non ad facile, sed ad simpliciter requiritur. Specialis autem gratia nec ad simpliciter requiritur ad aliquod opus legis, quod non conducit ad salutem; ad totam autem legem requiritur simpliciter, et non solum ad facilius.

XXIX. Ad ultimum respondetur, quod Christus est mortuus pro victoria omnis tentationis ut conducit ad salutem, et ad redemptionem, non autem ut non conducit. Similiter per solam gratiam liberamur a tyrannide diaboli, id est, a peccato,

et ab eo in quo habet captivum liberum arbitrium, sed quia non est extinctum omnino, sed ad aliquid valet, pro eo ad quod valet non indiget liberari a tyrannide diaboli. Nec denique possumus gloriari in aliqua victoria tentationis, quia ad omnem victoriam requiritur saltem auxilium generale, qua ratione verificatur in omnibus illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?* scilicet per gratiam specialem, vel generalem.

ARTICULUS IV.

Utrum dilectio Dei super omnia, victoria gravis tentationis, et alia opera difficilia virtutum indigeant speciali gratia Dei?

I. Supponimus dari dilectionem Dei naturalis ordinis, quia etiam in puris naturalibus Deus est finis ultimus omnium nostrarum actionum, et rerum; ergo diligibilis super omnia. Consequentia patet, quia non stat Deum diligere ut finem omnium, nisi omnia subordinentur ei: ergo diligibilis est super omnia quorum est finis. Antecedens patet, quia dilectio Dei super omnia est præceptum legis naturalis, utpote primum præceptorum decalogi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Præcepta autem legis naturalis, et decalogi sunt ordinis naturalis, præcipue istud de diligendo Deo, ut tradit D. Thomas 1-2, quæst. c, articulo III. Lex autem naturalis non extinguitur per peccatum, nec datur per gratiam, quia naturaliter imprimitur, et imbibitur etiam in natura pura, et nuda; ergo est possibilis dilectio Dei super omnia, et tamquam finis ultimi in ordine naturali, et secundum legem naturalem. Non modo disputo an iste amor pure naturalis sit vere amor, sed late disputabimus 2-2, quæst. XXIII,

disp. I, articulo II, contra Vazquez disp. cxc, cap. II, qui negat illum amorem Dei auctoris naturalis, esse amorem amicitiae, et in hoc præcipue stat ejus sententia: non tamen negat talem amorem Dei naturalem dari, sed negat illum esse amorem amicitiae.

II. Hoc ergo supposito præsens difficultas reducitur ad duo puncta. Primum est, ut videamus quomodo sit simpliciter impossibile ista opera difficilia facere, et quæ vires ad hoc deficiant pro statu naturæ lapsæ: secundum est, quo auxilio indigeat homo ad illa efficienda, an supernaturali, et sanante; an naturalis ordinis quod sit speciale, sed non sanans.

III. Circa primum occurrit difficultas, quia ista opera non sunt impossibilia pro hoc statu; ergo simpliciter non indigent auxilio speciali, sed sufficit auxilium proportionatum ad vires naturales, quod est auxilium generale, licet enim difficile sit tale opus, non est tamen impossibile. Antecedens probatur, quia natura in statu peccati, et in plura natura nihil amisit de potentia physica libertatis: ergo objectum quod de se est proportionatum inclinationi naturali, etiam post peccatum, mansit proportionatum eidem, intra sphaeram activitatis ejus: non ergo ex parte libertatis deest potentia ad talia opera faciendo. Nec etiam est impotentia moralis, quia impotentia moralis sumitur ex impedimentis extrinsecis, et tentationibus occurrentibus, vel ex defectu proportionis objecti, et excitationis ad bonum; sed tentationes, et impedimenta non semper occurrunt; ergo saltem pro aliquo brevi tempore poterit homo manere expeditus moraliter ad talia opera; excitatio autem divina non semper deest; tum, quia si objectum est proportionatum, connaturale est

quod aliquando excitetur ad illud; tum, quia de facto quando promulgatur lex naturalis, proponitur præceptum de diligendo Deum super omnia, cum sit primum præceptum naturale; ergo sicut non deest promulgatio legis naturalis juxta cursum ordinarium, ita neque excitatio ad diligendum Deum, quia excitatio est propositio objecti.

IV. Secundo, quia voluntas non est necessitata, neque indifferentia judicii sublata in ordine ad graves tentationes, et difficilia opera; ergo habet potestatem ad non consentiendum illis, saltem suspendendo actum, et per puram omissionem: neque est indebitum ut bonum naturale proponatur sibi cum tanta efficacia, sicut objectum tentationis vehementis, tunc enim habebit vires sufficientes ad resistendum tentationi gravi ex objecto bono efficaciter proposito.

V. Denique datur præceptum de diligendo Deo, si quidem est præceptum naturale, et similiter de aliis operibus difficilibus virtutis; ergo simpliciter est possibile inter limites naturæ ea adimplere, aliquin inter limites naturæ non obligarent illa præcepta, si non esset possibile illa adimplere: imo si non posset habere absolutum actum amoris Dei; ergo solum posset habere conditionatum, quod est quasi velleitas; ergo non posset ex amore Dei moveri naturaliter ad aliquod opus bonum, quia voluntas non movetur ex velleitate boni, sed ex intentione absoluta finis. Confirmatur, quia Concilia et patres non obligant nos ad intelligendum, quod est necessaria gratia ad amandum Deum super omnia, et tentationes graves vincendas, nisi prout conducunt ad salutem; ergo intra limites puræ naturæ non est ratio cur non possit voluntas illa opera facere sine gratia. Instatur etiam ex S. Thoma in II, dis-

tinct. xxxiii, quæst. ii, articulo i ad ultimum, ubi inquit quod in pueris in limbo erit dilectio Dei naturalis, et tamen in illis non erit sanata natura, neque integra, sed cum peccato originali, carebuntque omni auxilio supernaturali; ergo sine illo potest dari dilectio Dei super omnia.

VI. Non defuerunt theologi, qui senserint Deum posse viribus naturæ diligi super omnia amore perfecto benevolentiae, quos citat pater Suarez lib. i de gratia, cap. xxxii, et inter illos Scotum, Durandum, Henricum, Gabrielem, et ex antiquis alios, et pro eadem citat Cajetanum, et Soto, licet pro opposita tandem illos alleget capite xxxiii sequenti.

VII. Nihilominus pro totius difficultatis resolutione dico primo: In statu naturæ lapsæ non sunt vires in voluntate ad resistendum tentationibus gravibus sine speciali gratia Dei, et consequenter neque ad faciendum illa opera, quæ ad sui perfectionem exigunt victoriam gravium tentationum, vel adimpletionem omnium mandatorum, saltem virtualiter. Hæc conclusio deducitur ex generali principio a D. Thoma tradito, et a theologis communiter recepto, quod homo infirmus indiget speciali gratia sanante ad faciendum opera hominis sani; est autem opus sani resistere gravibus contrariis, et illa superare, quia si activitas agentis superat contraria, quæ sunt fortia, majorem debet habere fortitudinem quam illa; fortitudo autem, et robur maxime exigunt sanitatem.

VIII. Cæterum licet hoc exemplo hominis sani, et infirmi res ista apparenter explicetur, tamen designare vires in voluntate, quæ ita sint enervatæ, et infirmæ, ut non solum difficile, sed etiam absolute non possint illa opera difficilia facere, magnam habet difficultatem, quam

ut superemus, est advertendum, quod sicut intellectus habet vires, et motivum ex ipso lumine veritatis, id est, ex principiis a quibus illustrantur conclusiones, sic voluntas habet vires ex aliquo bono seu fine convenienter proposito, et affectu ad ipsum, ex quo tamquam ex motivo movetur ad aliquid volendum. Primum autem volitum habetur ex divina excitatione, et affectu, qui inspiratur a Deo; est autem hæc differentia inter verum et bonum, quod ad veritatem positus principiis clare et certo cognitis convincitur intellectus ad assentiendum, et habet firmitatem sufficientem ad repellendum contrarios errores, et deducendum conclusiones: at vero bonum cui adhærent voluntas nunquam ita firmiter, et certo proponitur in hac vita, quod non possit aliud convenientius proponi, licet in se non sit melius, et sic destruit firmitatem, qua aliud bonum movebat, et hoc est destruere vires, et infirmare motivum, quo voluntas se movet, sicut destructis principiis, aut firmitate illorum destruuntur vires intellectus ad alias veritates intelligendas. Quare licet ipsa potentia physica voluntatis in ratione liberi, et indifferentis, nullo modo diminuatur, tamen firmitas ex parte motivi, quod est bonum, et finis propositus valde diminuitur; tum directe per conversionem ad alium finem, cui voluntas adhæret per peccatum; tum indirecte ex rebellionem virium inferiorum ad superiora, et propensione ad sensibilia; tum denique ex natura ipsa nostræ voluntatis quæ de facili mutabilis est de uno objecto ad aliud propter debilitatem discursus, et iudicii circa convenientiam objecti: reducitur ergo defectus virium voluntatis non solum ad extrinseca impedimenta, sed etiam ad extrinseca motiva, ex parte ipsius boni, et finis, quod est motivum voluntatis,

non quidem per diminutionem potentiae in sua entitate, sed per defectum firmitatis, et immutabilitatis circa bonum motivum, sicut quando intellectus non habet motiva, seu principia certa, sed opinativa.

IX. Dices: Ergo voluntas non habet impossibilitatem physicam ad vincendas graves tentationes, et faciendâ opera difficilia, sed solum moralem, atque adeo absolute potest illa facere sine gratia, licet difficile propter moralem impotentiam quod est incidere in propositionem Pelagii toties damnatam, quod gratia datur non ut simpliciter faciamus, sed ut facilius.

X. Respondet Suarez libro de gratia, cap. xxiv, num. xxxv, solum esse impotentiam moralem, sed tamen dicitur simpliciter impossibile, quia tot difficultatibus est affecta potentia ad faciendum illa opera, ut non possit facere, nisi vel difficultates tollantur, vel speciali gratia adjuvetur. Cæterum hoc non evacuat difficultatem, quia si illa impotentia solum est moralis, manet autem potentia physica, ergo difficultates omnes ex quibus illa impotentia consurgit solum sunt morales, et consequenter solum est moraliter impossibile facere illa opera sine gratia, non autem simpliciter, unde non dabitur gratia ad simpliciter faciendum morali modo, sed facilius, quia omnes illæ difficultates non reddunt simpliciter impossibile illud factum, sed moraliter solum, seu difficulter. Unde aliter respondetur, quod in illo verbo moralis impotentia, latet æquivocatio; si enim moraliter idem sit quod ut in plurimum, sic moralis impotentia solum infert difficultatem, non impossibilitatem; si vero moraliter sumatur pro eo quod metaphorice, et moraliter movet, qualis est motio ex parte objecti respectu voluntatis,

sic moralis impotentia, id est, defectus sufficientis applicationis, et motionis objecti moraliter, et metaphorice moventis, absolutam inducit impossibilitatem, vel saltem possibilitatem non connaturalem; quod autem connaturaliter non est possibile cum concursu generali, simpliciter est impossibile, sed requiritur specialis, qui sit supra connaturalem, et ordinarium modum operandi.

XI. Instabis: Nam voluntas pro sua libertate propositis duobus objectis, potest sequi minus bene propositum vel saltem suspendere omnem actum; ergo quantumcumque proponatur vehementer objectum tentationis potest voluntas sequi objectum bonum minus efficaciter propositum, vel saltem suspendere actum, quod sufficit ut dicatur non consentire tentationi. Confirmatur, quia secundum dicta reducimus omnes vires gratiæ ad vires morales ex parte objecti convenienter propositi, non autem ad vires physicas ipsi voluntati interiores, quod sæpissime negat Augustinus præsertim in libro de gratia Christi contra Pelagium, et Cœlestium, et D. Thomas, et quicumque ponunt prædeterminationes physicas; ergo vires voluntatis sunt infirmatæ in aliquo physico, si quidem per physicas vires gratiæ restaurantur.

XII. Respondetur, quod suspensio actus si sit pura negatio, quæ fit per subtractionem omnis actus vitalis metaphysice est possibilis voluntati; sed in modo connaturali operandi difficillima, et fere impossibilis stante propositione objecti, quia est maxime contra proprium pondus inclinationis voluntatis retrahere omnem actum circa objectum propositum: suspendere autem actum eligendo ipsam suspensionem, jam requirit aliquem actum, et propositionem objecti, qua proponatur ista

suspensio ut convenientior quam objectum tentationis, atque adeo indigebit gratia Dei. Quod vero eligatur objectum minus convenienter propositum, relicto meliori, dato quod id posset fieri, ut est opinio probabilis, non tamen est magis connaturale, et ordinarium, eo quod objectum convenientius, et efficacius propositum est forma magis proportionata ad movendum, et consequenter magis est debitus illi concursus, et magis ordinarius, unde agere contra objectum sic propositum efficacius, et convenientius hoc ipsum est extraordinarium, et indebitum, unde licet sit opinio probabilis quod voluntas potest eligere minus bonum, et minus convenienter propositum respectu melioris, non tamen est opinio, quod hoc sit magis connaturale, et debitum.

XIII. Ad confirmationem respondetur, quod objectum propositum moraliter movens non est sufficiens, nisi voluntas illi afficiatur cum firmitate, firmus autem affectus voluntatis est aliquid physicum in ipsa, licet pendens a morali applicatione objecti propositi, unde ut iste affectus oriatur in voluntate requirit præter propositionem objecti sub ministrationem Spiritus operantis intra voluntatem, et hæc est physica vis auxilii agentis voluntatem ad bonum propositum: unde Augustinus libro de gratia Christi, capite XIII: « Hæc, inquit, gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam imperfiat charitatem. » Et apertius in libro de Spiritu et littera, cap. III: « Nos diximus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari, ut præter quod creatus est homo in libero arbitrio, præter doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum vivere

debeat, suscipiat Spiritum sanctum quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, et incommutabilis boni, et cum id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur; ut autem diligatur, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Non potuit Augustinus clarius explicare modum quo voluntas adjuvatur et suscipit vires, non solum quia proponitur objectum quando incipit apparere voluntati, sed etiam quia voluntas debet delectari circa illud bonum propositum, ut diligat illud, hæc autem delectatio, et affectus non subministratur solum per modum objecti, sed per charitatem diffusam a Spiritu sancto, quæ est aliquid physicum, et nomine charitatis intelligitur charitas auxilians, non habitus charitatis.

XIV. Ex dictis collige primo, quomodo sit necessarium speciale auxilium ad vincendas graves tentationes; tunc enim tentationes dicuntur graves quando ita vehementer proponitur objectum malum, quod non sinit apparere bonum honestum ut moveat voluntatem, juxta illud Psal. IX: *Auferentur judicia tua a facie ejus*. Unde sequitur quod debilitet affectum voluntatis erga bonum honestum, quod necessario dependet a propositione objecti honesti. Unde non manet principium intrinsicum posita gravi tentatione per quod possit illa superari, et consequenter oportet quod ab extrinseco sibi detur; tum proponendo efficacius objectum contra objectum tentationis; tum confortando affectum voluntatis, ut firmiter perseveret. Concursus autem iste, et auxilium dans istas vires non operatur juxta principia subjecti, cum potius sub-

jectum sit inclinatum a vehementi tentatione in oppositum; ergo non est debitum ipsi subjecto, sed pertinet ad speciale auxilium, id est, indebitum, quia non datur juxta formam, et principium quod est in subjecto, sed potius contra illam formam, et principium quod prædominabatur in subjecto per tentationem gravem. Concursus vero generalis, et ordinarius est ille qui datur juxta formam subjecti, quæ in illo prædominatur, non contra illam.

XV. Sed nota, quod cum tentatio dicatur levis, vel gravis comparative, bene stat, quod aliqua tentatio quæ in se est gravis, respectu aliqujus subjecti perfectissimi in virtute gravis non sit, quia non sufficit obscure, et obnubilare intellectum, aut infirmare affectum, et tunc ille talis sine speciali auxilio non poterit vincere illam tentationem gravem, quia respectu sui, gravis non est, sed tamen licet de facto non indigeat nisi ordinario auxilio correspondente viribus quas habet, tamen quod tam perfectas vires acquisierit, quod respectu illius tentatio vehemens reputetur levis, non fuit factum sine magnis, et specialibus auxiliis, et sic vel antecedenter, vel subsequenter omnis tentatio gravis vel postulat, vel supponit speciale auxilium. At vero in natura integra distinguendum est de tentationibus quæ sunt contra supernaturalia, vel quæ solum sunt contra bonum naturale, quod illæ quæ sunt contra bona supernaturalia, si sunt graves non possunt vinci sine speciali Dei auxilio, et ideo Adam cecidit quia tali auxilio præventus non fuit contra tentationem in ordine ad supernaturalia objecta, et præceptum positivum de non comedendo de arbore. Qua ratione venit intelligendus canon, XIX Concilii Arau-

sicani II dicentis: « Quod etiam in illa integritate in qua homo conditus fuit, indiguit gratia ad perseverandum: » intelligitur enim de gratia ad perseverandum in statu supernaturali illius integritatis, respectu vero tentationum contra objectum naturale, et per legem naturalem propositum, non poterat dari tentatio gravis in illo statu, nec per rebellionem passionum, quia inferior appetitus erat plene subjectus rationi, nec per suggestionem dæmonis, quia respectu finis naturalis, et per legem naturalem propositi, natura integra non poterat errare, nec decipi antequam peccasset; erat enim deceptio incompatibilis cum illo statu integro, unde non poterat dari nisi destructo statu, quæ destructio debebat fieri per peccatum, quare non poterat graviter tentari nec homo in statu integro, nec Angelus circa legem mere naturalem, sed circa ea quæ pertinent ad supernaturalia, vel circa aliquod præceptum positivum extra legem naturalem.

XVI. Sequitur secundo ad dilectionem Dei efficacem super omnia etiam ordinis naturalis, requiri in statu naturæ lapsæ specialem gratiam, et consistit hujus explicatio in illis duobus terminis efficax, et super omnia. Quod ut breviter explicemus, dupliciter consideramus amorem Dei: uno modo, quod sit de Deo absolute in se ipso, ut est quoddam bonum maximum, et perfectissimum, et hoc modo complacentia de tali bono, et simplex amor, non indiget aliqua speciali gratia, quia tanto aliquis amor est facilius, quanto objectum amabilius est, et magis bonum; Deus autem ut in se ipso consideratus, nihil habet quod bonum non sit: alio modo sumitur amor Dei comparative, et relate ad alia, quatenus omnia illi subjienda sunt, et includit duos